

obruti perierunt. Nam eorum cadavera laniantur: carniū pars cum visceribus in ignem projicitur. Id sacrificii quoddam genus est, quo placare cœlum contendunt. Iratum enim esse genti non dubitant, cum in undis quispiam extinguitur: ac si quid rite atque ordine peractum in istis funeribus non fuerit, huic piaculo calamitates omnes, quibus postea conflictantur, acceptas ferunt. Indulgent luctui per annum integrum. Primis diebus decem jacent humi, diu noctuque in ventrem proni: nefas tunc vocem ullam, nisi quæ dolorem significet, mittere; aut accedere ad ignem, aut convivii interesse. Anno reliquo luctus continuatur, at levius. Omittuntur omnia urbanitatis officia, colloquia cum vicinis, congressus amicorum; ac si conjugem amiserint; cœlibes, donec annus fluxerit, perstant. Post octavum aut decimum quemque annum Hurones, quæ natio latè patet, omnia cadavera certum in locum ex omnibus pagis deportant, & in foveam prægrandem conjiciunt. Eum diem Mortuorum vocant. Is ubi de procerum sententia constitutus est, eruunt corpora sepulcris; alia jam consumpta, & ossibus vix hærentia; alia putri carne leviter amicta: alia scatentia fœdis vermibus, & graviter olentia. Offa dissoluta in faccos abdunt: cadavera nondum diffuta componunt in farcophagis, & supplicantium ritu deferunt in destinatum locum, alto silentio, & composito gradu procedentes, non sine suspiriis, & lamentabili eiulatu. Ne vero memoria nobilium, & arte præsertim bellica insignium,